


In vlt
A. Johannis Evangelista.



MATER DOLOROSA.



CHRISTVS
SALVVS ORBIS:
PONTIFEX SANCTVS,
Ex Libris INNOCENS,
IMPOLLVTVS, SEGREGATVS
PECCATORIBVS.

SEU
VECTIGALES VINDICIÆ
INTEGERRIMÆ EJUS INNOCENTIÆ:
Principibus convenientibus in unum adversus
Christum Domini

In Celeberrimo Archi-Episcopali Collegio Pragensi
Abbatiae *opposite* *oberalteich*.
à

R. F. Gabriele Scheiber, Sac: Ord: Præmonst: Regiæ Ecclæsiae Montis Sion Canonico Regul: SS. Theologiæ in præfato
Collegio Auditore. XVIII. Martij.

Cum Licentia Superiorum.

Vetero-Pragæ, Typis Archi-Episcopalibus in Collegio S. Norberti
apud Wolfgangum Wickhart.

I P S I
D I L E C T O
P A T R I S F I L I O :
C A N D I D O
I N N O C E N T I A :


R U B I C U N D O
S P O N S O S A N G V I N U M
J E S U C H R I S T O :
F O N T I

P E R Q U I N Q U E F O N T E S
S A C R A T I S S I M O R U M
V U L N E R U M

P R O S A L U T E
H o m i n i s .

S A L I E N T I I N V I T A M
Æ T E R N A M .





ORATIO.

Vi sunt *millia millium ministrantium Domino,* **(a)**
decies millies centena millia assistentium ei? (a) *Ubi sunt plusquam*
duodecim legiones Angelorum? (b) *Ubi adorantes Dominatio-*
nnes? trementes potestates, cœlorumque virtutes? *Clauserit*
olim Propheta, cuius verbum quasi facula ardebat (c) *cœlum*
nè plueret; claudere non potuit, quin omnis cœlica potestas presso Factori
suo occurreret serva. *Attollite ergo portas Principes vestras, & elevamini por-*
tae æternales, (d) *subvenite sancti Dei, occurrite Angeli.* *Ergone cœlum factum*
est æneum? (e) *aperiatur terra!* *Ubi sunt ad portentum cibatorum hominum*
quinque millia? (f) *Ubi ille Deum hominem, nunc novissimum virorum, tunc*
cum jubilo Solymam invehens exercitus? (g) *Ubi numerosissima illa, irru-*
ens in JESUM, comprimens, terramque cum mari vertere compellens turba?
(h) *Ubi demum, vel ille pusillus grex, parvula illa mundatorum decas?*
(i) *Sed nec ille alienigena regreditur! Non est inventus, qui rediret.* *Cœlum*
quasi æneum & terra ferrea! Illi, qui fecit homini adjutorium simile sibi (k)
non est adjutor! Denique recurrit illa Thaborea visio: *Neminem viderunt,*
nisi solum JESUM. (l) *Intendit tandem querelis meis hucusque surda ter-*
ra, graviterque pro redimendo homine laboranti Deo submittit disci-
pulorum triadem; Sed quid? *Invenit eam dormientem: sic non potuisti una*
horâ vigilare mecum? (m) *Afflictio vigilat, solatium dormit!* *Video &*
Cœlos apertos, descendit unus de Principibus, sed quid? *Afflito addi-*
tur afflictio; porrecto sibi amarissimæ passionis calice ad fundum usque
cum horripilatione exauriendo tristis est anima ejus usque ad mortem, &
jam factus est in agonia. Hinc desertus plorans plorat in nocte, & non jam
lacrymæ, sed sudor velut gutta sangvinis decurrentis in terram, in maxillæ

ejus

- (a) *Dan. 7. 10.* (b) *Matth. 26. 53.* (c) *Ecclesiastici 48. 1.* (d) *Ps. 23. 7.* (e) *Deut. 28. 23.*
(f) *Joan. 6.* (g) *Matth. 21.* (h) *Luc. 5.* (i) *Luc. 17.* (k) *Genes. 2. 18.* (l) *Matth. 17.*
(m) *Matth. 26. 40.*

ejus : Non est qui consoletur eum ex omnibus charis ejus : omnes amici ejus sperverunt eum, & facti sunt ei inimici. (n) Audio : O vos omnes , qui transfitis per viam , attendite : (o) gaudium moeret , succumbit fortitudo , exinanitur gloria , deseritur solatium universi . Attendite, tempus meum propè est (p) ut vinciatur libertas , suppeditanea fiat celitudo , mancipetur Dominatio , Majestas exterminetur . Attendite : ligabitur immensitas , constringetur omnipotentia , decus abibit in propodium , conspicietis vermem non hominem Deum Hominem : Cœli terræque Dominus ibit in peripsema , Jūdex in reuin , fons in sitim , lux in tenebras , vita omnium propediem in mortem , quia hominem non habeo (q). Deus Homo , pro homine homo , sīne quo non esset homo , & à quo omnis homo , qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (r) non habet hominem qui ad defensionem ejus conspiciat . Quidni ergo pates , causamque inspicias ingrate ocale , quoniam revelavit ? An iterum tibi opus illo inclamato Ephphatha ad excipiendam Innocentiam obturata auris , quam reseravat ? ut quid obmutescis pro causæ patrocinio lingua , quam resolvit ? an iterum claudicas pro fereda indemnitate inhumane pes quem solidavit ? Et vos revivificata præcordia (excordia dixerim) num repetitis vestrum pulvrem , quō minus cordate agatis ad Vivificatoris vestri absolutionem ? Oculus cœcutit , obtunditur auris , mutescit lingua , jacet pes , cor est sīne corde & vita pro tuenda Vita ,

Tunc mea res agitur ,

Compatientissimi AA,

paries cum proximus ardet ,

cumque consangvineum mihi ex decreto Patris , voluntate Filij , & in comprehensibili cooperatione Spiritus sancti Verbum caro factum indolet : Fratres mei elongaverunt se à me , & noti mei quasi alieni recesserunt à me . An Justissimæ Assertoris causæ humeros subjicio ? sacrum inter & saxum hæreo , utrāque lance fluctuo , trahor & retrahor . Trahit hinc facerrimo fascino , & validissimō Magnetismo Incarnata Innocentia ; retrahit inde dubia sæpè sæpius Patronorum causæ in Judicijs alea . Sæpè cadit victus putatus victor . Sæpè percussio pastore differguntur oves (s) dum lites transeunt in Judicium Pascua , nec hamus ullibi reperitur felicior quam in turbido . Et auream causam in fumum vaporasse constat . Non semel Jūdex parti

pro

(n) Thren , l. 2. (o) Thren , l. 12. (p) Matth. 26, 18. (q) Joan. 5, 7. (r) Joan. 1,

(s) Matth. 26, 31.

* * *

pro petra monstravit arenam , & arundinem in deserto. (t) Prandetur misere
rè ubi oculi afflunt Jūdici , aqua clienti & Advocato. Infelix conflictus,
ubi aurum obliquat chalybem Themidis , &

Mutnegra cum murva faciunt rectissima curva:

nec steriliùs unquam messum est , quām ubi granum Juris cecidit secuviam.
(u) Trahor , dum nocentissimi Judices Innocentiam , iniquissimi aequitatem ,
pessimi Bonitatem summam condemnatum eunt. Trahor , nam si leviori
obstrictum crimine DEI Filium insimularent , si minùs consentaneis hone-
stati moribus incessisse taxarent , si in supremo virtutis apice non semper
stetisse reprehenderent , omnis tamen ejusmodi blasphema criminatio va-
lidissimis arietibus foret retundenda ; nunc verò audit scelestorum Alpha ,
maleficorum primipilus , peccatorum Antesignanus. Trahor , dum sic
ogganiunt in Hominem supra censum omnium hominum constitutum , in
Hominem Deum , Deique Filium , quasi Pater simul in hoste , simulque in
Filio sibi benè complacuisse. (w) Retrahor , nam quæ sunt partes meæ : in
quo authoritatis tantæ nihil quantam causa hæc exposcit , usus medio-
cris , ingenium minimè par voluntati. Ast ut ut sit : dum *multitudo ope-
rantium iniquitatem intendit arcum , ut sagittet in occultis immaculatum , firmat-
que sibi sermonem nequam : dum scrutatur iniquitates , sed deficit scrutans scrutinio :*
(x) non expedit temulento pede nutare jus , nec ad ultimam usque Thulem
relegari Justitiam. Persequar hostes Innocentiæ , & non convertar donec des-
ciant , (y) & inimici ejus terram lingant (z). Ingredior causam , non ut Inno-
centiam JESU perspicuam reddam , quæ se solà sufficiens est ad causæ
suæ patrocinium , sed , ut nefasti Hebræorum Judicij , iniquissimum Pro-
cessus rationem Vobis AA. Benevolentissimi ob oculos statuam : pro
quo addictissimam Vestram expeto patientiam.

Nunc reverunt peccata tua , ingratissima Synagoga , quæ operabaris ,
judicans judicia injusta , innocentes opprimens , & dimittens noxios ; (a) di-
cente Domino , Innocentem & Justum non interficies. (b) An aures ha-
bes , & non audis illud : *Absque peccato , & innocens ego sum ?* (c)
an adeò hospes es in sacro eloquio , ut nescias in caput tuum prædi-
ctum illud : *Justi lætabuntur , & innocens subfannabit eos.* (d) Ast surd ~~cum~~ ca-
nitur fabula . Ecce Judas unus de duodecim venit , & cum eo turba multa cum

(t) Matth. 11. (u) Luc. 8. (w) Math. 17. (x) Psal. 63. (y) Psalm. 17. 38.

(z) Ps. 71. 9. (a) Dan. 13. 52. 53. (b) Exod. 23. 7. (c) Jerem. 2. 35.

(d) Job. 22. 19.

cum gladijs & fustibus missi à Principibus sacerdotum & senioribus populi. Quām injustus processus! quām crassa citatio, non citatio, sed violenta aggressio, imò stultissima contra omnem Juris ordinem, à capite processus executio! *Citatio violenta & publica tunc locum habet, cùm privata non sufficit,* (e) quā neglectā nemo obtorto collo est rapiendus, nisi de fuga suspectus, aut contumax, aut conquisitis viribus resistens potestari. Innocentissimus JESUS nec somniat fugam; *Quem queritis? ego sum: dixi vobis, quia ego sum.* Non subjacet contumaciae labi: *Surgite eamus, ecce appropinquavit qui me tradet:* ex quo ipso luce meridianā clarior fit Ejus innocentia, nam *spontanea rei presentatio innocentiam demonstrat.* (f) Et quae producentur amabō conquisitae ad resistendum vires? non vallatur armatorum manipulis, occurrit inermis, tribus tantummodo pescatoribus stipatur. Accusatur rubiginosus Petri de vagina cum brachiorum Martyrio eductus chalybs, quo percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram? Fecit hoc immaturus amor discipuli, non præceptum Magistri; & non nisi refectione digna erat auris servi, quae innocentia Domini non intendit: imò correptio gladium in vaginam repulit: *Mitte gladium in vaginam, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt: Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? O pulchram, nitentem jure, legibusque vestitam citationem! tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me: *quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenueisti: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Inspectā justissimā scilicet citatione, in Eum se jam ampliante, cuius:

*Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra Regionum
Coget omnes ante Thronum:*

intendite in præclarum illud factæ citationis instrumentum. Pudet vel nefandi nominis meminisse! quām dexterè cum sinistro colludit Judicio, ut illidatur pes Justitiæ ad ruvitam: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* at illi constituerunt ei triginta argenteos. (g) Liceat hic ad Rhadamanthina tribunalia prurientem pedem sufflaminare, illudq; in lucem edere, quod dudum in absolutæ iniquitatis Parentem parturio. Hominem sibi quis (an monstrum) fingat, dum Iscariotem cogitat? non Christi, sed Diaboli

(e) Gail, 1, obser. 51. (f) Capell. in consil. 31, n. 8. (g) Matth. 26, 15.

Diaboli discipulum, Patriarcham Schismatum, plexam Integritati tendiculam, membrum Antichristi, equum Satanæ substratum, linguam Erebi, caput in Orchestra sceleris, genimen viperarum, serpentis Paradisiac toxicum, Deicidarum Coryphaeum animo repræsentet: Hominem quis vult? velit, ast non aliud, quām omni malitiæ stigmate cauteriatum, illum nempe, quem versatissimus Poëta peniculus ita exhibet:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine lœsus. (h)

Crine rubrum, non optimum, sed pessimum (dum non datur medium) communis fert traditio. Digno eum vel natura notavit indicio, unde pateret, quo aliquando charactere foret insigniendus, nempe vel ipsa flammea coma jam flammorum gehennalium erat præsiguum. *Ore nigrum* vultis? si quod nigrius os inveniri queat, quām quod Magistrum prodidit, & in quod post buccellam introivit Sarthanas, (i) judicate. *Brevis pede*, non uno fuit, sed utroque, claudicavit enim in duas partes: (k) Sic erat amicus Christo, nè hostibus esset inimicus: sic hostibus amicus, nè hypocrisi erga Magistrum suum detergeret colorem, dicens: *Ave Rabbi, & osculatus es eum*: (l) *Omne tamen punctum tulerit, remque acu terigerit*, quisquis contenderit reftissimum fuisse in iniuitate. *Lumine lœsum ex ore suo se judicat servus nequam*; peccavi, tradens sanguinem justum, (m) Erravit elleboro dignus nundinator, infelix tenebrio a via veritatis, nec justitiae lumen luxit, nec sol intelligentiæ ortus est ei. (n) Vel me tacente senties, Sapientissime Confessus, Iscariotis parricidale scelus caput & fontem esse, ex quo malorum omnium sentina in Deum hominem protuberavit, quid? ostiatim profluxit, quid? torrentis instar sese effudit. Illam Tartarei oris impressionem equum Trojanum dixerim, ex quo omnis hostilitas est egressa, quām tecta, tam nociva. Fuit *Ilias in nuce*, tormentorum omnium cornu copia, quod se in populibꝫ barbariem, sacerdotum odium, in hypocriticam Pilati saevitiam effudit. Ex hoc hebræus deprompsit odia, hic cudit satelles vincula, hinc duxit tortor flagra, miles coronam spineam, arundinem & sputa, fel & acetum, clavos & lanceam, omnes mortem. Tantum potuit unica Judæ prælata fax, cuius incendio Integerrimus Mariæ Filius tolleretur. Nimirum feritas rumpit repagula dum habet ducem, Ducem Institorem Orcinum. Rumpitur in murmur, dum Religiosissima Christi pedissequa fracto alabastro ungit

(b) *Mart.* (i) *Joan.* 13. 27. (k) 3. *Reg.* 18. 21. (l) *Mattb.* 26. 49.

(m) *Mattb.* 27. 4. (n) *Sap.* 5. 6.

ungit misericordiam ad misericordiam : Poterat venundari plusquam trecentis denarijs : (o) & enceromati cedit in pretio Cœlestis Archiater : Quid vultis mibi dare ? Non subhastat plus offerenti , sed vendit universi pretium quidquid offerenti , & hoc consummat osculo tam amaro , ut Christo ceteroquin patientissimè muto reserârit lingvam : *Juda* : osculo filium hominis tradis ? O osculum virulentum , ob cujus memoriam primi nostræ Religionis lapides anniversariam diem jejuni extraxerunt , & sacrorum Antistites , divina inter , consveto pacis osculo abstinent . Osculo maritat inauditum scelus Veterator : Quem osculatus fuero , ipse est , tenete eum , (O horror) & ducite cautè . Quo loco (Deum Immortalem !) quo loco JESus apud Judam ? *Ducice cautè* ! Profectò Magister ei erat pro discipulo ex Schola Medeæ , pro nepote Proserpinæ , pro incantatore , præstigiatore , Mago . Quid illud : cautè ? audi fida armatorum cohors , quidquid JESus portenti patravit , opitulanti orco consigna ; (p) nè ergo solitis sibi artibus vestras manus fallat , ducite cautè . Hinc autem empto tanti pœnitere serò sapiens cum Phrygib⁹ , relatis argenteis , explosus per illud : Quid ad nos , tu videvis , concepto dolore peperit iniquitatem super iniquitatem , (q) & intefino fæiente conscientiæ bello , abiens laqueo se suspendit . Rectè proditorum guttur laqueus elicit . Effuso viscere crepuit medius , nè perduellis anima per os , sed ventrem abiret , ad inferna destinata . Renuente terrā , respuente cœlo , volatilem in fide suscepit aér , aërearum collegam potestatum . Sic abijt in locum suum , cui melius erat , si natus non fuisset . Sic sic folitâ pœnâ plectit neglectum illud :

Quidquid agis , prudenter agas , & respice finem.

Finio , imò incipio ; resonant catenæ , expediuntur vincula , panduntur funes & laquei : comprehenderunt JESum , & ligaverunt . O funesta Catastrofē ! O invisa Metamorphosis ! O formidabile spectaculum ! Ille qui venit educere de conclusione vincitum , de domo carceris sedentes in tenebris , (r) ligatur , stringitur , innodatur , oneratur , premitur , vincitur , cogitur :

Jam dare captivas infera vincla manus . (s)

Jam flos campi , & lilium convallium (t) protritum in trivijs dabit odorem suum . Ast spectaculum jungitur spectaculo , quo arctius , hoc tristius :

Tunc

(o) *Marei* 14 . (p) *Sic explicant mentem Jude Divi Hieron. Chrysost. & Beda.*

(q) *Pf. 7. 15.* (r) *Isiae 42. 7.* (s) *Ovid. 1. de Pont.* (t) *Cant. 2. 1.*

Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Sistite gradum, ex catena & compede, ex manicis, bojis, numellis Magistrum eripite, solvite funes, lataxate laqueos. Aures habent & non audiunt; quos terror prohibet, loquuntur fugâ: non est bonum nos hîc esse. Denique non est hæc Thaboræ visio, non resplendet Magistri facies sicut sol, pro nube lucida pullatur cœlum, & Pater tacet. Scilicet

Tempore felici multi numerantur amici.

Omnis fugerunt, nec est, qui cum sale vel uxorem Loth imitaretur. (u) Imo erro: Petrus sequitur usque in atrium Principis sacerdotum. Benè habet, ille præclarus Magistri encomiastes: Tu es Christus Filius Dei vivi: (w) Ille fiddissimus comes: Domine, ad quem ibimus? verba vita æterna habes. (x) Ille generosus sponsor: Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire: (y) Ille se præbebit clypeum pro Magistro. Sed vanè fortassis auguror, quia sequitur à longè, imò fallor, sedet cum Ministra ad ignem & calefacit se. Fallor, ah nimium fallor, ait enim: non novi illum. Dicat jam Aula: Mentiens non est meum, quando vix aulam ingressus piscator illicè simulare didicit & mentiri. Imò mentitus non est, sed verum dixit; utique non noverat hominem, qui deserere poterat Deum hominem. Benè sedet ad ignem, qui solem sequebatur à longè: & quos propè undas ardores conceperat, propè prunas extinxit.

Sic lethalis hiems paulatim in pectora venit. (z)

Sed

Verba miser frustra non proficiens fundo (a).

Audio Homerum: re non verbis est opitulandum. Tenentes JESUM duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum. Domine sequar te, quoque ieris. (b) Sed heu me, heu Te Christe! Tribunal Caiphæ est consilium impiorum, via peccatorum, cathedra pestilentia, ubi Scribae & Seniores conveniunt. Habet suum unio ex Antisthene præconium, concordia muris fortior: Conciliat concordia insigne pretium illud Isæci Sophistæ ad Lacedæmonios ex Homero: scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque vir viro: (c) Sed unio est disunio, concordia discordia, quies inquietus, virtus vitium, pax bellum, laus contumelia, præconium propodium, in violen-

B

ria,

(u) *Genes. 19.* (w) *Math. 16. 16.* (x) *Joan. 6. 69.* (y) *Luc. 22. 33.* (z) *Ovid. I. 2. Met.* (a) *Ovid. 2. Trist.* (b) *Math. 8. 19.* (e) *Philofr. in Soph.*

tia, in injustitia, in blasphemia, in malevolentia, in odio, in trabali iniquitate. Dicit Caiphas : *Expedit ut unus homo moriatur pro populo*: (d) *Principes Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falsum testimonium contra J E S U M , ut eum morti traducerent* (e). Sic qui se jactant Justitiae, fiant Ministri iniquitatis. Sic perversi resident celso mores sôlio, sanctaque calcant. Sic iniquitati in succursum cietur mendacium, ut vas summi honoris abeat in contumeliam. Sic suâ venerandum canitie axioma : *Quod decet non quod licet, cancri fortitur gressum : Quod licet, non quod decet.* Sic ubi forent quærendæ virtuti, vicio laxantur habenæ. Solennissime excipio contra Judices, qui & ipsi iniquissimi Actores : *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt, ut JEsum dolo tenerent & occiderent.* Denique timor, cupiditas, odium & amor Justitiae illidunt pedem, ut abeat retrorsum. Timor : quid facimus ? hic homo multa signa facit, totus mundus abit post eum. Sinite tenebriones, qui sequitur hunc, non ambulat in tenebris. Sinite Cæci, qui sequitur hunc, pes ejus stetit in via recta. Sinite omnis doli architecti, qui sequitur hunc, non abit in consilium impiorum, & non stat in via peccatorum. Sinite mortui, & Sepulchra dealbata, qui sequitur hunc, non moritur morte secundâ. Vestram bilance spoliavit Themidem Cupiditas placenti Cæsari. Radicatum in vobis ex erebo odium velut lethargo sopivit æquitatem ; quia dictum vobis Væ : quia audistis : *Hypocritæ, Cæci, Duces Cæcorum, ex Patre Diabolo* : Sed vestrâ culpâ hæc acciderunt. Sordidissimi vulgi, abjectissimæ plebeculæ, stultissimus peripsematis amor tantum vestras obturavit aures, nè audiretis sapientissimum illud monitum : *Judex es, nè quid accusandus sis, vide* (f). Viguit aliquando illud : *Ordo Judicum vitijs careto, ceteris Specimen esto* (g). Habuit & illud pretij sui pondus : *Judex habeat Sanctitatem, Justitiam & prudentiam* (h). Ast vobis manet decentatum illud : *Justitiae fautores odio & invidiâ vincuntur* (i). Dum fatigamini in fingenda calumnia non tam infulati quam inflati Poëta, dum non inventam pravitatem suppletis vestrâ, ut infami literâ C Innocentissimum meum notetis reum, *infames pronuntio, quibus Principum Judicûmque portæ patere non debent* (k) : Imò dum supremam Justitiam ex odio condemnatum properatis, supplicio dignos. (l) Stupent. Nunquid impio conatus
mini

(d) *Ioan. 17. 50.* (e) *Math. 26. 59.* (f) *Terent.* (g) *Heideman.* (h) *Piacius p. 2.*de prob. c 44. n. 4. (i) *Lebman Polit. Aphorism p. 3.* (k) *Cic. de legib. Jas.**in proœm. feudorum 132. (l) Paris de Puteo: de Synd. in V. condemnatio.*

mini sufflamen injeci ? nihil minus ! oleum & operam perdidii , æthyopem Lavi,
sementem in saxo feci , Belidum urnas replevi , cancrum rectâ procedere docui,

Irrita ventosæ rapuerunt verba procellæ (m)

Et siccum sterili vomere littus aro (n).

Quæritur , vocatur , cietur , cogitur , rapitur falsum testimonium . Quo-
modo (Deum Immortalem !) quomodo stabit avitus Juris Finis : suum cuiq;
tribuere (o) ? quomodo Judicium non radicatum in calumnijs , non ge-
nitum à nefasto nefas , non lactatum ab injuria , sed ab honestissimo Jure
dicendo (p) natum , sumet incrementa , ut vivat posteritati ? In vacuas au-
res questum facio ! Querebant falsum testimonium : O dolor ! & non invenie-
runt : O grata spes ! novissime autem venerunt duo falsi testes : O breve gau-
dium ! & dixerunt : hic dixit : possum destruere templum Dei , & post triduum re-
ædificare illud : O fulgur ex pelvi . En literatos testes , totos literales ; tam
strictè amplectuntur literam , ut in spurio , simias imitantis complexus a-
more altum gemat . Dudum his literatissimis debebatur , ut toti fierent
litera longa ex græco Π . Sed quid ? Animalis homo non percipit ea , quæ sunt
spiritus , (q) . Quid mihi um ? repudiata mundi luce , (r) non possunt non
cæcutire , & in ægyptiacas cimmeriásque offendere tenebras . Et arca-
dicum cerebrum novit sapientissima effata sugillare , trutinare oracula ,
Apollinis tripodem vocare in tentamen , ipsum Veritatis apicem dente
Theonino rodere , dum passim obvius reperitur censor didici factique alieni , ne-
mo sui ; & jam vel :

pueri nasum Rhinocerotis habent (s).

Denique :

Judicium vulgi insanum , & sine pectore turba . (t)

Hinc dudum reverentiae suæ capite diminutum , & cum longo naso ad pontum
Nasonis , & Milonis barbatos pisces deportatum est illud aliquando in pretio acro-
ama : Si quem laudare non potes , ne vituperas ; jam vero & vitium , & celsissima
virtus parem subit libellam . Possum destruere templum Dei . Nabalitica
glossa Jezabelicorum testium Solymæum Templum vel capillis rapit ad
literam . Insuper ac perindè habitu Sanctuario ludit cum velo : aspernato
ac nauseato nucleo dilectatur putamine : & dum appetiatur concha , mar-

(m) Ovid. (n) Idem Epist. (o) Vultee. de Jud. lib. 1. c. 1. n. 7. (p) Vult hic,
num. 30. (q) 1 Cor. 2. 14. (r) Joan. 8. (s) Martial. (t) Mart.

garita projicitur ante porcos (u). Adfuisset utinam illud Pictorum Alpha, & futurijs Commentatoribus appressisset digitum memorabili suâ gnomâ: nè ultra crepidam. Ut amplius nodus in scirpo, macula in sole, in circulo terminus, in suprema virtutis intensione queratur culpa: fronte catonicâ, fulgurante oculo, arrectâ aure, stridente dente, ringentibus rictibus, corpore toto, toto spiritu ad hoc factâ & factâ: *ut IEsus dolo teneant, & occidant, toti præ furore famelici non currunt sed volant in verba immensi ponderis: Amodò videbitis Filium Hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cæli.* Et quid indè? promelle fel, pro malagmate vulnus: *Tunc Princeps Sacerdotum: blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? reus est mortis.* O quâm sinistre consonat Oraculo sententia, cuius nescitur Sacramentum! Caipha: *Sapientiae ætas est condimentum, sapiens ætati cibus.* (w): *Sapienti pauca. Mansuetudo Judicis est character, non furor; Scindis vestimenta. Qualem te dicam? furiōsum nè an infantem? utrumque, nam: furiōsus & insans æquiparantur* (x); ex neutro potes esse Judex. Præcipitas in JEsus sententiam innoxiae mortis; & tuam & alienam: præcipitans errando dolet; consilio adde moras, præceps sententia fallit: *Non laudis est Judici tulisse multas, sed encomij, justas dedisse sententias: Bisfrons est prudentia; prudens regit ita præsens ut cernat futurum, & suspendit consilium.* Qui tardè judicat, raro decipitur: qui præcipitat, plerumque labitur. Præceps lusus illudit. Astutus videt periculum, & absconditur: simplex præcipitat, & perditur. Nullus consiliarius melior tempore (y). *Quod ratio non potuit, sapè expedivit mora.* Judices in judicando decet plumbeus gressus. Quidquid non discutitur, Justitia non putatur. (z) Cunctator sit, qui judicat de salute: alia sententia potest corrigi, de vita transactum nihil immutari. (a) Et quis nescit duplicitate condiendum esse Judicium, uti scientiæ, sic conscientiæ (b)? Et illo caret, & hoc insulsissimus Caiphas, dum latæ cum conciliaculo insistit sententiæ: *Reus est mortis.* Sine illo dicitur insipidum, sine hoc diabolicum. Ubi ex suspicione vel præsumptione futili nemo condemnandus est, sed ex probatione luce claviori, cum de hominis vita agitur (c): ibi latæ sententiæ præbet fulcrum arundineum scientia ex infamibus testibus, qui testari non possunt (d). Arguo contra Processum:

Quisquis omnia facit, quæ potest: in hoc est superbia.

Quisquis inquirit omnia, quæ nescit: in hoc curiositas.

Quis

(u) Matb. 7. 6. (w) Plautus in *trinumeros*. (x) Dig: I. 37. Tit. 3. de bonorum posses.

(y) S. Greg. Naz. (2) Cassiod. lib. 7. Epist. 8. (a) Cassiod. (b) Baldus.

(c) L. Fin; C. de probat. (d) L. 3. §, leg. ff. de testibus.

*Quisquis effutit omnia quæ scit: in hoc est stultitia.
 Quisquis dat omnia, quæ habet: in hoc prodigalitas.
 Quisquis judicat omnia, quæ vider: in hoc est temeritas.
 Quisquis credit omnia, quæ audit: in hoc est:*

turpis, & Judicem dedecens inconstantia (e). Illud Judicum pectori altè insideat opportet:

*A scolta l'altra parte, e credi poco:
 Alteram partem audi, & parum crede.*

Audin Caipha? Serpentis Paradisiaci genimen mendacium linguam habet Parentis: aliter sentit, loquitur aliter; quid mirum? mendacium malis est loco veritatis: Non est venenatus toxicum, quam quod egreditur de ore & calido & frigido (f): malus, ubi justum se simulat, tunc est pessimus (g): & male imperatur, cum regit vulgus duces (h). Coacervatissimolo in Christum contumeliam injuriandi animo (i), quia ex condicione eum dolo tenetis. Audio: malus semel, semper presumitur malus: Sed presumendus est nunquam, nunquam malus; & alterius odio nemo est prægravandus, nec puniendus aliquis sine culpa. Audio: In ore duorum vel trium testimoniū statuit omne verbum (k), dolo non facit, quod quis mandato Judicis facit, cum habeat parere necesse: ast puniendum est consilium, quod ad perniciem probitatis trahitur (l), & ibi paratur interitus, ubi Magistratus imperat, leges obediunt (m). O præclaros integrimósque Judices, qui ab ore mendacij pendent! Scilicet: Justitiā induiti sunt, vestiverunt se sicut vestimento & diademeate iudicio suo (n), qui adeò Lethen hauserint, ut nesciant: facilius tolerari impunitum scelus quam innocentii negari locum defensionis; nec meminerint illud: nunquam innocentem iudicio capitii arcessas, id enim sine scelere nullo pacto fieri potest (o). Adverte Sapientissime Confessus: Caiphas non favet Christo aurem, Christus Caiphæ negat linguam: quærerit Sacerdotum Princeps: non respondes quidquam ad ea, que tibi objiciuntur ab hi? JESUS tacebat: nimirum:

Conscia mens recti famæ mendacia ridet (p).

Ignis in aquam conjectus continuè extinguitur, & falsum crimen in purissimam vitam collatum statim concidit (q). Sed quam dissona hæc: JESUS integer vita, scelerisque purus, ipsa Innocentia, ipsa Sanctitas: & reus est mortis.

(e) Weingarten Weishcits-taffel in prodomo Spec. Jud. (f) Tacitus lib. 1. Hist.

(g) Pub. Syr. (h) Sen. off. (i) Treut. de priv. delict. Thesis 5. Lit. B. (k) Matth. 18. 16.

(l) L. Si quis serv. C. de serv. corrupt. (m) Plato Dial. 4. de Legibus. (n) Job. 29 14.

(o) Cis lib. de offic. (p) Ovid. 4 Fastor. (q) Cic. pro Rosc.

Spectatum admissi risum teneatis amici

dùm extra territorium ius dicenti impunè non paretur. Jugulo inquisimsum Processum per exceptionem contra falsos testes, per criminalem injuriarum actionem, per ipsum adeò crimen læsa Majestatis; Excipio contra suspectos Judices, obtendo exceptionem doli mali peremptoriam causæ. Sed, quid multis? JESus declinat forum. Forum? *Ubi quis delinquit, ibi puniendus: quod exemplo nocitum, pœnâ emendetur.* Audite rei, non Judices: ubi quis deliquit (distingvo: *si deliquit*) ibi puniendus, concedo: ubi exemplo nihil nocitum, pœnâ emendetur, nego. Ubi cessat omnis culpa, ibi cessat omne forum. Insuper, quodsi pro privilegio *Miles Magistrum militum* (r), *Illustres Principem* (s) fortiuntur Judicem, & *queque miserabiles personæ ad Principem evocantur* (t); stat pro Christo privilegium omnium maximum, dum fori est nullius. Nullius fori? nec tui Caipha, nec ullius. Non tui ex origine, quia Nazaraeus est: non ex jure nascendi quia Bethlehemita est, *non a domicilio*, quia non Jerosolymam, sed totum orbem habet domicilium, terram scabellum, cœlum sedem. En fori nec tui Caipha, nec ullius. Adde, quod Pater aut Patronus in jus vocari non debeat. (u)quem putas tibi traditum? reum? malefactorem? scelerum architectum? Pater: est: si pater ego sum, *ubi est honor meus* (w)? Patronus est: *habemus Advocatum JESUM Christum Justum* (x). Dominus ac Magister est: *Vos vocatis me Magistrem & Domine, & bene dicitis, sum etenim* (y). Caipha quid fecisti? an satis dare poteris per pœnam *quinquaginta aureorum?* Dimitte JESUM, non blasphemavit, *ego non quero gloriam meam, sed honorifico patrem meum* (z). Non prohibuit censum Cæsari: Petre mitte hamum, tolle pisces, invenies in ore ejus statorem, illum da pro me & te (a). Non ambivit imperium: nè esset Rex, fugit in montem (b), nec Regem se fecit, cuius Regnum non est de hoc mundo (c). Ecce dum nihil Juris, nec Juris & de jure adfertur, justissima causa excitat rotulum in capite Caiphæ, dimittit JESUM, sed mittit eum Pilato. Quid hic parturient montes? ut video, de plano, levato velo procedetur. Quam accusacionem affertis? si non esset hic malefactor, non tibi tradidimus eum. Ego nullam in eo invenio causam: Emendatum dimittam. Quid audio? Si bunc dimittis, non

(r) *L. penult. C. de Jurisd.* (s) *Leg. fin. C. ubi Senatus, & Clar.* (t) *L. un. C. quand.**Imper: inter pupill.* (u) *L. 4 s. penult. & fin. iff. de in jus vocando.* (w) *Malach.*2. 6. (x) 1. *Joan.* 2. 1. (y) *Joan* 13. (z) *Job.* 8. v. 49. 50. (a) *Math.* 17. 26.(b) *Joan.* 6. 15. (c) *Joan.* 18. 36.

*non es amicus cœsarisi. Sta Pilate! non aliud quam Palladium illud scutum pectori
imprime: non moveri (d). Grando tectis illiditur, sed diffilit: clades in firmum
animum cadentes franguntur, non frangunt (e). Ast ecce Pilatus vertitur in
horologium aliter indicans, aliter sonans: in gallum aliter scribentem, ali-
ter enuntiantem. Jam non invenit causam, jam JESUM tradit voluntati eo-
rum, ut crucifigatur. Sic, AA. patientissimi, Vivorum & mortuorum Judex
subit jurisdictionem meri imperij apud reos; Sic Innocentia succubuit ex-
tremæ nocentia; sic Christus victus est, non convictus. Non cecidit cau-
sa, nam habet intentum: Oblatus est, quia ipse voluit (f). Vicit Leo de tribu
Juda (g) cadendo, nè cadat homo per peccatum ex lex in carcerem, ubi
eternum reddat novissimum quadrantem. Adhuc multa habeo vobis dicere,
sed non potestis portare modo (h). Peccavi in uno, dum de*

JESU Innocentia nocens

D I X . I.

(d) *Lipsius.* (e) *Tacit L. 13. Annal. c. 43.* (f) *Isaie 53. 7.* (g) *Apoc. 5. 5.*

(h) *Joan. 16. 12.*



